

436

434

440

425

430

445

425

485

385

535

335

Ende

Anfang

amplum et ecclesiam ingentem excitavit, sicut hodie est; jecit
etiam fundamenta in mare et aream illam ampliavit, sicque con-
ventus ille factus est in ordine famatus usque in posterius, in
quo semper ultra centum sunt fratres et multi doctores. Verum
observantia regularis est ibi tenuis, neandum est reformatus, sed
vivunt ibi fratres in quadam saecularis gloriae pompa, unde festivis
diebus Missae officium et vesperas ac compleotoria cantant in figu-
rativis cum solemnitate saeculari; quapropter ad officia illa con-
fluit multitudo juvenum et dominarum, non tam propter divinum
officium, quam propter melodiae et discantorum auditum. Orgona
duplicata habent et multum sacristiae ornatum ultra modum. Est
etiam in ecclesia (218 a) illa plurimum ducum Venetiarum sepul-
tura. Non vidi pretiosiores tumbas et sepulturas pomposiores, nec
Romae summorum pontificum sepulchra possunt sepulchris ducum
Venetorum aequari. Sunt enim tumbae elevatae a terra muris-
que immissae, et tota superficies parietis illius vario marmore et
sculpturis auro et argento est decorata et ultra virtutis modum
ornata. In sepulchris illis imagines Christi, B. Virginis, aposto-
lorum et martyrum et caeterorum, quos quis amat, Sanctorum
ponuntur in medio, tamquam principales, sed per circuitum sunt
imagines gentilium, Saturni, Jani, Jovis, Junonis, Minervae, Martis
et Herculis, cum signis poeticarum fictionum. Ibi vidi in ecclesia
nostra juxta ostium in dextro latere in sepulchro cuiusdam ducis
pretiosissimo sculptam Herculis imaginem, in ea forma, qua eum
singunt pugnasse, sed indutum leonis, quem interfecerat, pelle loco
pallii, et congressum habere cum hydra, immani monstro, cui
cum essent septem capita, et uno exciso septem illi statim renas-
cebantur. Ibi stant pugiles nudis corporibus, in manibus habentes
gladios et hastas, et ad colla suspensa habentes scuta, et nec
loricam nec thoracem, nec galeam, quae sunt verae figurae ido-
lorum. Ibi pueri nudi et alati, triumphi signa tenentes vel colluc-
tantes, et multa talia gentilitatis signa inter signa nostrae redem-
ptionis posita sunt, et simplices putant esse Sanctorum imagines,
et honorem exhibent Herculi, putantes Samsonem, et Veneri, aesti-
mantes Magdalenam, et sic de aliis. Insculptum etiam sepulchris
monstra marina et defuncti arma et metra gesta mortui ex-
planantia.

Secundus conventus est ad S. Dominicum, qui fuit construc-

